





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.



107.  
121

ΕΤΦΗΜΙΑΙ

In Nuptiarum solennitates Ornatissi-  
mi Doctissimiq; Juvenis,

DN. IOHAN-  
NIS SCHÖRII, LL. STV-  
DIOSI, MATRIMONIUM  
CONTRAHENTIS,

Cum

Honestissima Lectissimaq; Virgine

A N N A

Honestissimi Viri

Dn. GEORGII HAFERINGII, Civis olim  
Servestensis primarij, Filia,

Ac jam Honoratissimi Prudentissimiq;  
V I R I

DN. CLEMENTIS STRESONIS  
Reip. ibidem Prætoris Gravissimi  
Privigna,

S P O N S A.

10. Septembris Anno 1611. celebrandas,

Scriptæ ab amicis.

Servestæ, typis Zachariæ Dörfferi, Anno 1611.



171

D. JOHANN

DE YCHORHILLENSTADT

DISTRICTUS

HONORABILIS

A. N. A.

DR. GEORG HERRING

AC JAM HONORABILIS

DR. CHRISTOPH

S. P. O. N. S. A.

SECTIO

Et  
Tū  
P  
Qu  
T  
Et  
C  
Hoc  
M  
Hoc  
U  
Has  
H  
Has  
Q  
Ecce  
L







Mphitruoniadæ magnarum gloria rerum  
Ingenio laudes uberiore canit:

Tùm quia nubigenas Centauros Stym-  
phalidasq;

Victrici domuit nobilitate potens.

Tùm quia sustinuit cœli revolubilis orbes,

Ponderi ubi fessus succubuiſſet Atlas.

Quo mage quis memori celebraret laude, J E H O-

V A M,

Tartara qui forti deſtruit atra manu.

Et ſuſtentat adhuc magni molimina mundi,

Qua veniens ſurgit Sol, fugiensq; cadit.

Hoc duce ne dîa virtute creata perirent,

Multiplicat ſpeciem res ſibi quæq; ſuam.

Hoc duce conjugii ſunt condita jura, duorum

Unus ut in gemino corpore vivat amor.

Has leges quicunq; colit, benedictio J O V Æ

Hunc divina manet, perpetuusq; favor.

Has leges tu, J A N E colis, conclude, videbis

Quòd certam præſens ſpondeat hora fidem.

Ecce Heliconiadum Charites te Nectare Sacri

Lustrârunt, Pallas' plectra chelynq; dedit.

A 2

Hinc



Hinc Musis quando modularis cantica, passim  
Molle sub arguto pollice tinnit ebur.  
Adducit thalamo teneram Cytheræa puellam,  
Cum qua conjugij fœdera pacta colas.  
Gratulor, utq; Deus fortunet cœpta secundis  
Auspicijs, Christo propitiante, precor.  
Quo factò, Euepie, Juno, & Lucina modernis:  
Sponte suâ Sponsis debita pensa dabunt.  
Hæc voveo, fatis vim vota ferentia clemens.  
Multiplicet solitâ pro bonitate DEUS.

*Acclamabat*

*M. Christianus Moldenhauerus  
Bernburgensis Med. Stud.*



A L I A.

**M** *Ultam mihi, fateor, sunt, quorum adducere pos-*  
*sunt*  
*Singula me, SCHÖRI, ne carmine signa recusem*  
*Edere letitia, dum virgo retraxit ad oras*  
*Te patria, atq; suis juvenem decepit ocellis.*  
*Interea miror, subito quod pectus AMORIS*  
*Jam*



Jam pateat, cum sis contemnerè visus eundem  
Haëtenus, ignarus quod non sit temnere tutum  
Quicquid AMOR jussit: quia jus habet ille vel ipsos  
In superos: igitur quis cedere nolit Amori?  
Namq; fuga haud ulla est, haud est fuga tuta, sequetur  
Vsq; AMOR, extremos quamvis fugiamus ad Indos.  
Vix tibi quid proffit, video, meruisse fidelem  
In castris Baldi, & leges didicisse sacratas;  
Nam dum nescit AMOR leges, & spernit habenas  
Juris, nulla quoq; est in castris gratia Baldi.  
Sed bene habet, nec te tantos subiisse labores  
Pœniteat, nam te præ cunctis eligit unum  
Inde sibi generum minimus non, STRESO, Patronus  
Musarum, atq; hujus Prætor dignissimus urbis:  
Inde sibi petit hæc consortem virgo puella  
Te præ mille precis; nec non tu mille vel unus  
Frustraris præter spem vota q; spemq; procorum.  
Letitiam quis non ob præmia tanta laborum  
Senserit! en quis non te terq; quaterq; beatum  
Dixerit! & quis non tibi pectore, voce manuq;  
Gratetur? Quare Tibi pectore, voce manuq;  
Gratulor; & verè plus terq; quaterq; beatum  
Te dico, atq; simul letor, quod fautor & autor  
Ihova tori tanto te sit dignatus honore:

A 3

Quo



Quo, quid conjugialis amor, quid amare & amari  
Sit, nôris, quia amas, & amaris, amabis, amabit.

Andreas Pulmanus.



A L I A.

**I**ngenio præstans J A N U S, virtutibus A N N A,  
Conjuge vir dignus, femina digna viro.  
Egregijs, ambo, clarisq; parentibus orti,  
Confirmant sacri foedera sacra tori.  
Nempe decet solitis Hymenæi tollere festa  
Laudibus, ad rutilum, qui gerit astra, polum.  
Materies lepido certè hæc est carmine digna,  
Quam vatem minimè præteriisse decet.  
Vatis ego nomen minimè mihi vendico, namq;  
Me proprio modulo metior, atq; pede.  
Carminibus vestris parvos tamen addere versus,  
Et precibus vestris addere vota placet.  
Huc ades alma Trias, D E U S unus in ordine trino,  
Cui semper curæ vincula connubij.  
A N N Æ qui socium junxisti, suscipe clemens,  
Proq; A N N A nostras, pro Socioq; preces.

His



His studium largire tuæ pietatis & auge  
Sponsis, ut rectè Teq; Hominesq; colant.  
(Hæc etenim pietas est, quæ servire parata,  
Officijs homini, religione DEO.)  
Pectora junge pari, tu fautor amoris, amore,  
Unum quo semper pectora bina velint.  
Sponsus defendat sponfam, moresq; gubernet,  
Et, qui non pugnant cum pietate, ferat.  
Rursus ad ingenium flectat se Sponsa mariti,  
Addiscens capiti casta subesse suo.  
Quæ studio virtutis avos, pietate parentes  
Sectetur, sobolem da, pie CHRISTE, piam.  
Adjice, quæ profunt ad honestam, commoda, vitã,  
Felices facili sorte tuere lares.  
Adjice longævus, fatis felicibus, annos,  
Atq; diu differ tela tremenda necis.  
Quod si (ceu nihil est immoto more quietum)  
Ingruat adversi fortè quid, atq; mali:  
Sit breve, sit parvum, fortuna mox meliori  
Sublatum: placitis sint mala mixta bonis.  
Deniq; confectos senio cupidosq; resolvi  
Ex miseris, quibus hæc vita referta, malis:  
Optatâ fac utrumq; frui, Rex CHRISTE, quiete,  
Cœlestis regni participemq; tui.

Hæc



Hæ sunt, pro vobis jam Sponsis, auspice CHRISTO,  
Fundere quas voluit nostra Thalia, preces.  
Ac ut complectar paucis ego plurima verbis,  
Tali concludam vota precesq; modo:  
Sit foecundus Hymen vester, concordia vestri  
Constans esto tori, sit diuturna, precor.  
Hæc pater omnipotens, hæc CHRISTUS imago  
parentis,  
Spiritus hæc almus vota probabit, AMEN.

*Paulus Suevus Zaknensis.*



A. L. I. A.

**I** Pse parens superum, qui cœli regnat in arce,  
Autor conjugij est, & post exordia mundi  
Prima, virum iussit dulci cum conjugè vitam  
Degere, successu vult atque beare secundo,  
Qui castis audent animum submittere tædis.  
Hoc, pie sponse, facis, Musarum cultor, honestæ  
Simplicitatis amans, & amans pietatis & æqui,  
Artibus ingenuis te recte instruxit Apollo.  
Concessere tibi jam mollia fata quietem,  
In tuto placida recubans ut mente cubili

*Cum*



Cum consorte tuâ tranquillâ pace fruaris,  
Musarumq; colens consortia, sæpè revolvas  
Librorum nodos, sacriq; volumina verbi,  
Otia (crede mihi) hæc fecit tibi summus Iova.  
Qui vult ad latus esse piis, qui plurima prestat  
Commoda, difficili dulces & miscet amores  
Fortunâ, magnaq; facit quò mente feratur,  
Quicquid inest oneris vitæ adversiq; jugali.  
Ergò nequaquam tædas subiisse jugales  
Pœniteat Sponsam, Christo duce & auspice, cæli  
Terrarumq; satore. Hic murus abeneus esto,  
Res cunctas, autore Deo, inceptasse supremo.  
O nimum felix, ò terq; quaterq; beatum  
Conjugium, recipit qui par tàm nobile faustis  
Auspiciis, & quod tot tantaq; commoda prestat.  
Montes letitiæ voces ad sidera jactant,  
Murmuraq; ingeminant, modulantur carmina sylvæ,  
Qualiter irriguo flos intemeratus in horto  
Gramineam terram per sua vi mulcet odore:  
Sic tenero vernat jucundæ flore juventæ,  
Corpore formoso juvenis Neonymphus honestus.  
Qualiter atq; astrum cælo Regina sereno  
Lumine splendescens integro Cynthia fulget:  
Sic vivus micat ore nitor, sic florida sponsæ

A

Pulcræ,



*Pulcræ, natiuos comitatur gratia mores.  
Qualis erat quondam nimirum maximus heros  
Thessalicis Peleus Neonymphus honestus agellis.  
Talis adest Sponsus, talis nunc eminent ipse,  
Qui novus hac festa dicetur luce maritus,  
Clarus præstanti virtute, fideq; probatus.  
Scilicet è pulcro quæprodit corpore Virtus  
Plus homines movet, & cunctis gratissima res  
est.*

*Cetera quid referam? Ponto nox incubat atra:  
Hæc juvenem dixisse sat est: jam claudere rivus  
Par erit argutos, tua jam sat prata biberunt.*

*Non tam moris quàm amicitia  
ergò lusit.*

*Joannes Streso Servestian.  
Anhalt. M. St.*



**A L I A.**

**D**ic, Phœbe, præses Tesbiadum facer,  
Dic, celsa rupis culmina qui tenes

Par-



Parnassia, qui-cum beata  
Vita queat peragi marito?  
Vos, ô Camœnæ, dicite, dicite,  
Qua-cum trahatur vitâ beatior  
Uxore, vitam dico curis  
Perpetuis vacuum ac periculis?  
Ni fallor, aurem vellicat, & mihi  
Sonante Phœbus murmure sic refert:  
Torum sibi exoptans beatum,  
Quæ refero, bene mente condat:  
Ducat sibi aptam, ducere qui cupit,  
Virtute verâ moribus ac parem,  
Voto ambo digni sint eodem,  
Nam simili simile omne gaudet:  
Sint Sponsi honestâ stirpe parentium  
Orti, Jehovæ quos amor intimus  
Commendat, & sincera honestæ  
Integritas probitasq; vitæ:  
Sponsos coronet diâ modestia,  
Formæ venustas, ingenuus pudor,  
Fides, D E I metus, laborq;,  
Et pietas, taciturnitasque.

B2

Sint





Sint culta veris pectora dotibus,  
Casti pudoris sit decus integrum,  
Sit sana mens, sanumq; corpus,  
Ac nivei sine labe mores:  
Sit blanda virtus, blandaq; gratia,  
Nec absq; fato ac numine provido  
Hoc ardor imo in corde flagrans  
Mutuus in thalamum reponat.  
Ergo beatum ter, quater, amplius,  
Jam cum marito te juvenis canet,  
Cultor sacrarum, Jane, legum,  
Pieridumq; decus sororum:  
Tu namq; tandem (ceuplacuit DEO)  
Suspiriosis victus amoribus,  
Pulcherrimam ducis puellam,  
Dotibus egregis politam:  
Ergò beatam ter, quater, amplius,  
Jam cum puellâ femina te canet,  
Te, Sponsa, cui talis Jehovahæ  
Munere junctus adest maritus:  
Beatitatem gratulor hanc novis  
Sponsis, cuivis quæ minimè datur;

Beati-



Tædasq; grator nuptiales,  
    Numine prosperiore cæptas.  
Hâc, Sponse, dignum conjuge te cano,  
Hoc, Sponsa, dignam conjuge te cano,  
    Parem tibi ducis maritam,  
    Nubit & ipsa pari marito:  
Gratantia & vos dicite carmina,  
Sympatriotæ, Phœbus & asseclæ  
    Quos Musæ amicæ nutrierunt,  
    Lacte suo, ambrosioq; melle.  
Favete linguis, vos etiam hospites,  
Novo marito conjuge cum nova,  
    Felicitem hanc gratulantes,  
    Dicite verba bona, & favete:  
Tandem Jehovæ munere prospero  
Fortuna vos lætantibus ambiens  
    Circundet alis, sæviorq;  
    Nulla torum quatiat procella;  
Qui pace abundet perpete, copiâ  
Magnâ bonorum largiter affluat,  
    Domumq; cum primis utramq;  
    Per seriem beet usq; prole.

*Abrahamus Theopoldus Ser-*  
*vest anus.*

B 3

ETEO.





ΕΤΕΟΣΤΥΧΟΝ Eiusdem:

LVX VbI septe MbrIs bls qV Ina eff VLserat, eCCe  
ConIVgII faVstI VInCVLa, Iane, petIs.




A L I A.

**C**Um gratulantes plurimos vobis novis  
Adeffe amicos viderim de honoribus:  
Horum ipse votis ut meum addam versibus,  
Paucis mearum iudico esse partium.  
O Christe praeses nuptiarum! tu novis  
Divinâ adesto gratiâ Sponsis, torus  
Fœcundus ut sit & secundus, quem tuo  
Parant sub auspicio: fac absint iurgia  
Procul molesta: fac minister Angelus  
Intret domum concordiae custos sacra,  
Animos ut alma pax fidesq; copulet,  
Fac omne ab horum ut absit edibus malum.  
Hac voti sit summa mei: ô maxime Christe,  
Tu decies votis addito plura meis!

Georgius Hafferingius sponsæ  
frater.

F I N I S.











№ 1996.

8

U

ULB Halle 3  
 002 063 808



Sh

nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 / 1996 /

U 8 17


M

DX









Inches

Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Ornatissimi-  
nis,

AN-  
LL. STV-  
ONNIUM

s, Virgine

A  
G 11, Civis olim  
lia,  
lentissimiq;

RESONIS  
rissimi

lebrandas,

eri, Anno 1611.

107.  
121

